
STIRÆMARCHIÆ DVCATVS SEV TAVRISCORVM NORICORVM SEDIS ACVRATVS AC ELEGANS TYPVS CHOROGRAPHICVS.
CARINTHIÆ DVCATVS VEL IVLIARVM ALPIVM TRACTVS VERA AC GENVINA DELINEATIO GEOGRAPHICA.
SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
TAVRISCI
NORICI
MEDITERRANEI
PANNONIÆ SVPERIORIS
FERRARIÆ
CARNORVM
CARINTHIÆ PARS
COMITATVS
CLAVDIVS
AMBLICI
Im Rotal
Im Saan Tal
Karntn
Krain
Karst
CARNIOLA
FORVM IVLIVM
FRIAVL
IDVNVM
DRAVVS FLV.
MARIS ADRIAT. PARS

CARINTHIAE DVCATVS.

Carinthia à Carnis populis nomen ſuum obtinuiſſe videtur, qui vetuſti eius loci incolæ ſunt, vtpote quorum & Plinius & reliqui in hoc loco meminerunt Geographi. Vtrum verò à Carnunto veteri oppido, cuius crebra apud Authores mentio eſt, nomẽ hi ſuum traxerint, an verò ipſi à ſe ſuam vrbem denominarint, dubium facit rei vetuſtas. Eſt is locus in ripẽ Pannonia, leptem ferè à Vienna milliaribus diſtans, vbi nõ obſcura celeberrimæ olim vrbis indicia, monumenta ac rudera etiamnum extant, ei nunc Diuæ Petronellæ nomen eſt. Dicuntur verò & Carnioli, Germanicè *Kernten, Krain, Karſt*. De his verò hoc modo ſcribit Volaterranus: Supra Iſtros Carni ſunt, lata regio à Forouilienſibus incipiẽs, atque ad montana pertinens. Germani etiã Carinthiam vocant, quaſi Carnithiam, corrupto vocabulo, quanquam nonnulli alteram faciunt, eadem tamen eſt gens. Dalmatica quidem & ducibus Auſtriæ ſubiecta. In hac Iulium Carnicũ Ptolomæo, Plinioque, quod ex loci ſitu Golitiam quidam eſſe contendunt. Eſt etiam in hac Labatum oppidum ex nomine fluuij vicini, quẽ Plinius Neuportum appellat, vnde deſcendit Argo nauis ad Iſtros. Dalmatæ, Lublanam hoc oppidum vocant, ex Lugea vicina palude. Hanc regionem imprimis bonam fertilemque eſſe Ludouicus Imperator monſtrauit, qui ei Arnulphum primogenitum filium ducem conſtituit. Modruſa quoque nouo nomine ciuitas in hac parte inter montes ſita eſt. Magiſtratum habent Carniti Archiducem, Auſtralibus hodie ſubiectum. Morem præterea hunc Barbarum, vt non ſolùm in furto deprehenſum, ſed furti ſuſpectum extemplò ſuſpendant, poſt triduum de ſuſpitione iudicant. Si iure mortuum animaduerterunt, pendẽre eum ſinunt: ſi minus, contumulant, eique iuſta faciunt. Hactenus ille. Dicebatur autem olim hæc regio Noricum, & inter Illyrici prouincias etiam Noricum duplex annumerabatur. Norici verò initiũ eſt ab Oeno fluuio, qui Rhetiam ſecundam à Norico diſterminat. Huius pars quæ Danubio imminet, & veterem proſpicit Germaniam, Noricum ripenſe dicitur, pars verò quæ Drauo fluuio propinqua eſt, Noricum mediterraneum appellatur, cuius etiamnum pars quæ Liſero fluuio perluitur Noricũ vocatur, Germanicè *Im Noring* dicunt. Nomen verò id à Noraco oppido deſcendiſſe veriſimile eſt: eius Stephanus meminit in Pannonia, citãs Epaphroditum, qui in Cõmentarijs in Homerum dicat in Pannonia prouenire ferrum, quod ſi quis perpoliat, ſplendidiſsimum reddatur. Vnde Poëta dixerit νώροπα χαλκόν, Noricum ferrum ſeu æs, quaſi νώρακιον, pro ære valde ſplendẽte. Carnuntenſem Chalybem procul dubio intelligit, cuius inclyta fama hodie durat, & vſus apud Germanos creberrimus exiſtit. Nam Carnuntum Norici locus eſt. Commendat etiam Noricos enſes Horatius Flaccus lib. 1. Carmi. Oda 16. Quas neque Noricus deterret enſis. Laudatam enim ferri venam, in Noricis extitiſſe ſcribit Plinius Secundus capite 14. lib. 34. hiſtor. mundi. Nec minor gloria eſt hodie Norico ferro, Paſſauwer klingen & Styrijs cultris. Hos verò & Tauriſcos Straboni dictos nonnulli contendunt, quos tamẽ Styrios potius eſſe crediderim, partim ipſius Strabonis verbis motus, qui eos penes Aquileiam locat, partim quod Taurus mons in eorum regione ſitus, videatur nomini rationem dediſſe, & quod *Stier* etiam Germanis Taurum ſonat. Eſt autem ſita Carinthiæ regio in Iulianum Alpium tractu vtrinque inter Salzæ & Lauandæ fluuiorum fontes, quorum hic regioni ad ortum à Septentrione fluit, Drauoque miſcetur, ille ad Occaſum regioni ſitus verſus Septentrionem ruit. Meridianum autem latus Drauus flu. ſubtendit, ſub quo Carnia duplex vulgò *Krain*, Carniola regio, Goriciæ principatus ſeu palatinatus poſita ſunt, de quibus priuata exhibetur charta.

Diuiditur autem Carinthia in ſuperiorẽ quæ Lyſero fluuio rigatur, & inferiorem quæ Lauanda fluuio alluitur, Germanicè *ober end onder kernten*. Complectitur præterea comitatum Ortenburgenſem ad dexteram Draui fluuij ripam, item Soluendenſem Coloniam antiquitibus refertam, inter Glaueckci & Olzæ fluuiorum fluenta. vrbes ac oppida habet præcipua Villacum in planitie ad Draui quoque ripam dextram, ornatam ac perpolitam vrbem. Clagenfertum olim Claudiani. Hæc illa eſt, in qua ferunt eum quẽ ſupra ex Volaterrano adiecimus morem ſeruari furibus duriſsimum. Sanctus Vitus, ea regionis Metropolis eſt ad Glauam flu. ſita, Haynpurgum ad Draui flu. ſiniſtram ripam, emporio ac mercatu fœlix eſt. wolfſpergum Lauandæ flu. adiacet. Regio ipſa montana, multæ in ea valles colleſque feraces tritici. Solinus cap. 30. ait agrum Noricum frigidũ, & parcius fructuoſum, qua verò ſubducitur à iugis Alpium admodum lætum. Multi lacus, multi amnes, quorũ præcipuus Drauus, qui per Styriam ac Pannoniam in Danubium fertur, haud inferior Sauo, Glana, Schleinicza, Lauanda, quos omnes Drauus ſorbet. Mura quoque eidem Drauo miſcetur. Lacus ſunt Mulſtetter-ſee, Oſsiach-ſee, Werd ſee, Lauandt-ſee, Iudenburger-ſee, Vveyſ-ſee. Plerique autem prædictorum fluuiorum huic regioni fontes ſuos debẽt, ac in eadem etiam oſtia ſua habent. Valles omnes ab perluentibus amnibus nominaſua ſortiuntur. Montibus vndequaque attumulatur. Excelſa enim Alpium capita (vt Strabonis vtar verbis) continua hactenus extenduntur, & vnius montis faciem exhibent, remiſſa inde & inclinata, plures in partes, & plures in vertices attolluntur. Tauri portiones iugaque crediderim, vnde ab incolis ſuis nominibus diſtincta. ab Occidente Gaſtein, Taurn, Vilachertaurn, Raſtattertaurn, Karntaurn vocantur. Nonnulli verò vertices, Alpium nomina cuſtodiunt, vt ſunt Modringalbin, Serbizalbn, Sauabn, Stubnalbn, Piberalbn, Scwanbergeralbn, & Drauo flu. Dietzpergus imminet: & ſuper hunc Mons argentatus eſt accolarum lingua Silberberg. Raſpergus mons Muræ ac Iſaræ fontes habet, altero in Meridiem, altero in Ortum fluente. Inter hos verò Tauri Alpiumque editiſsimos colles, ſyluæ luciique ſparguntur. Hercyniæ ſyluæ tractus portiones, vti ſunt Hirſchpnhel, Priewaldt, Adelwaldt. Eremus vulgò *inder Anoed*, ſyluę. Minæris prædicti Alpes turgent iuxta Virdunum, quod Vrieſacum nunc dicũt. Carnorum ferrariæ ſunt, nec procul ab eo loco Silbergus ac Goltbergus à ſui nominis metallis nomina ſortiti ſunt. Kaſpergus quoque mons ob minæras perfoditur. Nec thermis hic locus deſtituitur, natura ſubinde ex metalli feris montibus ſalubres aquas protendente, vnde iuxta Gaſtlimum in ſuperiori Carinthia, amœno loco, ſaluberrimæ extant thermæ. Habet autẽ Carinthia ab Ortu Styriam, vicinam, à Meridie Carniolam & Carnias, ab Occaſu Saltzburgenſem diœceſim, à Septentrione Anaſſonam regionem contiguam habet. Incipit ab Occidente in longitudine grad. 31. minut. 50. vbi eſt Veltſpital oppidum, ac deſunt in Oriente in longitud. graduum 33. minut. 27. vbi Lauamunda eſt ad Lauandæ fluuij oſtia. A Meridie initium ſumit ſub gradu latitudinis 46. vbi Pleiburgum Carniolæ oppidum, ac in Septentrionem extenditur ad latit. grad. 46. minut. 47. vbi Indenburgum vrbs, Muræ flu. adiacet. Subiacet itaque poſt initium ſeptimi climatis, quod eſt per medium pontum Euxinum, ſub Parallello 16. vbi dies artificialis prolixior horarum $15\frac{1}{2}$. longitudinem ergo habet ab Occaſu in Ortum milliar. Germa. 25. ſeu Italicorum 100. latitudinem autem ab Auſtro in Boream milliar. German. $11\frac{3}{4}$. ſeu Italicorum 47.

STYRAEMARCHIAE ET CARINTHIÆ DVCATVS.

Styriam à Tauro dictam eſſe vix dubiũ eſt, cui opinioni ſubſcribit etiam AEgydius Tſchudus: vbi refert ex Plinio Catonem Lepontios & Salaſſos Tauriſcæ gentis aſſeuerare (inquit enim) fuerunt autem Tauriſci iſti Galli, quorum natio in antiquiſsimis Gallorum prœlijs ſedem collocauit vltra alpes, de quibus Polybius lib. 2. de bello Gallico ſic ſcribit. In Alpibus ab vtroque latere loca montuoſa habitant, ad eam partem quæ verſus Rhodanum, & Septentrionem ſpectat. Galli qui Tranſalpini appellantur, ad eam verò quæ campis imminet. Tauriſci, Agones, & alia pleraque Barbarorum genera, à quibus Tranſalpini non genere, ſed differentia loci differunt: ideo Tranſalpini dicti, quod trans montes colant &c. Iſti Tauriſci poſtea emigrantes, alia quæſierunt loca, occupaueruntque regionem illam quæ modò comitatus Goertz appellatur, ac deinde profecti ſunt in Syriam, nomen ſuum illi terræ relinquentes. Significat enim Taurus Germanis *Stier*. Fuderunt ſe quoque in Auſtriam & Hungariam, de qua rehìc nõ eſt locus diſſerendi. Hæc ille. Styriam verò Valeriam olim dictam fuiſſe affirmant nonnulli, ſicque appellatam fuiſſe in honorem Valeriæ, Diocletiani filiæ, quemadmodum Marcellinus memoriæ prodidit. Quados aliquando hæc loca tenuiſſe ex eo emicat, quod Sext. Rufus ſcribit. Sub Iulio Marcomannos & Quados de locis Valeriæ, quæ ſunt inter Danubium & Drauum flu. pulſos eſſe. Eſt verò & hæc regio Norici mediterranei pars, quemadmodũ & Carinthia, & Illyrici prouincijs annumeranda. Germaniæ quoque poſterius acceſsit, quanquam Styriani hodie cultu & ſermone Germani ſunt, præter Draui accolas, qui Illyrica vtuntur lingua. Marchionatus olim Pannoniæ primæ erat, vnde Styriæ marchia dicta fuit. Marca autem limitem ſonat: per limitaneũ itaque comitem adminiſtrabatur, vti Lazius oſtendit. Deinceps ducatus dignitatem adepta, Auſtrijs ducibus acceſsit, quibus etiamnum paret. Diſtinguitur autem in ſuperiorem Styriam, vbi Muræ fluuij diuertigium, & inferiorem iuxta Draui & Muræ confluentes, qua Pannoniæ ſecundæ ſeu Hungariæ proxima eſt, vnde is locus *am Hungeriſchen* vocatur. Vrbes Styriæ ſunt famatæ Brugæ ad Muram flu. ac ibidẽ Grazium. Viana voytſperg vulgò ad Kaynacham flu. Wolfſpergum ad Lauandam flu. Marchpurgum Metropolitana ad Draui ſiniſtrã ripam, ac ex eadem parte Petouiam ſeu Coloniam Pœtouicam, Trans flumen eſt Waraſinum, Caſtra Variana vocant. Rackelſpurgum Muræ fluminis ſiniſtræ ripæ adiacet, vbi Sauaria regio initium habet. Eſt in Styria incolarum numerus haud exiguus, ſtrumis maximè deformis, quæ in aliquibus tantæ reperiuntur magnitudinis, vt loquelam non parum impediant, quas mulieres (vt commodius infantes lactẽt) ad humeros reijciunt, alioquin pectus ſeu vbera velaturas lactantibus. Earum cauſam plerique, nec (vt opinor) ineptè dicunt aquam eſſe quæ illic potatur. Terra eſt vndique montibus obſita, qua Orientem reſpicit Solem, vbi ſpatioſa eſt planities de eius fertilitate parum polliceri auſim. Fluuijs rigatur, Drauo, Lauanda, Sackan, Sulmo, Raynacho, Muera, Murtza, Arrabone, Veyſtritza, Laufnitio, ac infinitis propemodum torrentibus ac riuulis, qui omnes tandem Danubio miſcentur. Montium hìc numerus non eſt, quare ſingulorum nomina aſcribere vix licet, omnes penè generali nomine Noricæ Alpes vocantur. vnde Alpium adhuc præ ſe ferunt nomina, vti in Carinthia paulò ante monſtrauimus, cuiuſmodi ſunt Rauchalbn, Stubalbn, Sawabn, Schwanbergeralbin flu. In confinijs Auſtriæ, Carinthiæ & Styriæ Taurus mons eſt. Muræ flu. Geſacus mons imminet, nunc vulgò *der Schockel* vocatur, & Sattli, Manſenperg, Weinſperg, iuxta Salzam fluuium vocatur Ina Sawrueſſel, hoc eſt, os porcinum, *Deifelſteig*. i. Diaboli præcipitium. Infra Muram dicitur, Im Gaiſtal, Stainperg, & Kainacheralbn, paulò inferius ſunt, Kreiczpergus, & Hertzpergus montes, & verſus Ortum Radel, & Plaitzbergus montes. Vltra Drauum verſus Meridiem Claudius mons eſt, nunc Dracimberg dicitur. Refert Vadianus quod ſuperioribus annis Viennæ Auſtriæ conſtans fama increbuerit, ardere in Styria cœpiſſe montem, quo pellectus Maximilianus Cæſar Auguſtus, nuncijs ad inquirendum miſsis, ita eſſe, vt ferebatur, cõpererit, quod miraculi loco, hìc recenſẽre libuit. Hæc verò accidiſſe veriſimile eſt, circa annum Chriſti 1520. quo tempore Vadianus hæc videtur ſcripſiſſe. Prædicti verò montes paſsim, ſparſimque ſyluis veſtiuntur, Minæris regio vniuerſa turget, verum Principum incuria parcius foditur. Argentarias fodinas habet in Alpibus, quas *Schwrenberger albn* ipſi vocant. Ferrarias iuxta Aniſum fluuium Thermas habet in Dobla, inter Muram & Raynachum flu. Salis quoque ingentem copiam Styriani coquunt, quem in alias regiones exportant, ac lucrum ingens recipiunt. Terminatur autem hæc regio ob Ortu quidem Hungaria, ab Meridie Carniola, Carniaque ab Occaſu Carinthia, à Septentrione Auſtria. Incipit autem ab Occaſu ſub gradib. longit. 33. minut. 27. vbi Lauamunda Carinthiæ eſt: definitque in Oriente ad longitudinem grad. 35. minut. 55. vbi Schaken oppidũ ad Muræ & Draui confluentes. A Meridie initium ſumit ſub latitudine graduum 46. vbi Plaiburgurgum oppidũ in comitatu Siliẽſi, ac Septentrionem verſus extenditur, ad latitudinem graduum 47. minut. 30. vbi Hogenpergum in cõfinibus Auſtriæ. Subeſt itaque poſt initium ſeptimi climatis, quod eſt per medium pontum Euxinum, ſub Parallello 16. longitudinem verò habet ab Occaſu in Ortum, milliariorum Germanicorum 40. ſeu Italicorum 160. In latitudinem autem extenditur à Meridie in Septentrionem milliariorum Germanicorum $22\frac{1}{2}$. vel Italicorum 90.

Z 282.6-326
N(Preuß) 3.4.2025 / 79